Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Et hoc ergo vanitas. Ubi multe sunt opes:
multi et qui comedunt eas. Et quid prodest
possessori, nisi quod cernit divitias oculis
suis? Dulcis est somnus operanti, sive
parum sive multum comedat. Saturitas
autem divitis non sinit eum dormire. Est
et alia infirmitas pessima quam vidi
sub sole: divitie conservate in malum domini
sui. Pereunt enim in afflictione pessima.
Generavit filium qui in summa eges
tate erit. Sicut egressus est nudus de utero
matris sue, sic revertetur: et nichil au
fert secum de labore suo. Miserabilis
prorsus infirmitas: quomodo venit sic re
vertetur. Quid ergo prodest ei quod laboravit in
ventum? cunctis diebus vite sue comedit
in tenebris et in curis multis: et in e
rumpna atque tristitia. Hoc itaque mi
hi visum est bonum, ut comedat quis
et bibat, et fruatur leticia ex labore suo
quo laboravit ipse sub sole, numero
dierum vite sue quos dedit ei deus: et
hec est pars illius. Et omni homini cui
dedit deus divitias atque substantiam, po
testatemque ei tribuit ut comedat
ex eis, et fruatur parte sua, et letetur de
labore suo: hoc est donum dei. Non enim
satis recordabitur dierum vite sue, eo quod
deus occupet deliciis cor eius. VI.
Est et aliud malum quod vidi
sub sole, et quidem frequens apud
homines. Vir cui dedit deus
divitias et substantiam et honorem, et nichil
deest anime eius ex omnibus que desi
derat: nec tribuit ei deus potestatem
ut comedat ex eo, sed homo extraneus
vorabit illud. Hoc vanitas et magna
miseria est. Si genuerit quispiam centum
liberos, et vixerit multos annos, et
plures dies etatis habuerit, et anima illius
non utatur bonis substantie sue, sepultura
que careat: de hoc ego pronuntio quod me
lior illo sit abortivus. Frustra enim
venit et pergit ad tenebras, et oblivione
delebitur nomen eius. Non vidit solem
neque cognovit distantiam boni et mali.
Etiam si duobus milibus annis vixerit,
et non fuerit perfruitus bonis: nonne ad
unum locum properant omnia? Omnis
labor hominis in ore eius, sed anima illius
non implebitur. Quid habet sapiens amplius
stulto? et quid pauper, nisi ut pergat il
luc ubi est vita? Melius est videre
quod cupias, quam desiderare quod nescias. Sed
et hoc vanitas et presumptio spiritus. Qui futu
rus est, iam vocatum est nomen eius: et
scitur quod homo sit, et non possit contra
fortiorem se in iudicio contendere. VII.
Verba sunt plurima, multaque
in disputando habentia vanita
tem. Quid necesse est homini maiora
se querere, cum ignoret quid conducat
sibi in vita sua, numero dierum peregrinatio
nis sue, et tempore quo velut umbra preterit?
Aut quis ei poterit indicare quid post
eum futurum sit sub sole? Melius
est nomen bonum quam unguenta pretio
sa: et dies mortis die nativitatis. Me
lius est ire ad domum luctus, quam ad do
mum convivii. In illa enim finis cunc
torum admonetur hominum, et vivens
cogitat quid futurum sit. Melior est
ira risu: quia per tristitiam vultus corri
gitur animus delinquentis. Cor sa
pientium ubi tristitia est, et cor stul
torum ubi leticia. Melius est a sapiente
corripi, quam stultorum adulatione de
cipi: quia sicut sonitus spinarum ardentium
sub olla, sic risus stulti. Sed et hoc vanitas.
Calumpnia conturbat sapientem, et perdet
robur cordis illius. Melior est finis
orationis quam principium. Melior est pa
tiens arrogante. Ne velox sis ad ira
scendum: quia ira in sinu stulti re
quiescit. Ne dicas quid putas cau
se est, quod priora tempora meliora fuere
quam nunc sunt? Stulta enim est huius
cemodi interrogatio. Melior est sapientia
divitiis, et magis prodest videntibus so
lem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit